

*De ritu se devocendi apud  
Roman.*

IIc  
1468

G.H.  
420,  
13.

AVSPICIS  
SVMMI NVMINIS  
AVCTORITATE  
MAGNIFICI ATQVE AMPLISSIMI  
SENATVS INTERIORIS ET ECCLESIASTICI  
LIBERAE IMPERII CIVITATIS  
MVLHVSAE  
GYMNASII PATRII NATALEM  
PRID, NON. QVINCTIL. A. R. S. ∞ Id cc XXXIX  
FESTO RITV CELEBRANDAM  
INDICIT  
M. GODOFREDVS BOETGERVS  
GYMNASII RECTOR

BIBLIOTHECA  
MUNICIPALIS

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
ALLE  
(GALE)





**A**bhorrere semper uisi sunt Romani a barbara hominum  
immolatorum consuetudine. Non solum enim Liui-  
us, cum extraordinaria aliquando sacrificia facienda, et  
humanis hostiis litandum esset, id sacrum minime Romanum  
uocat, sed Caesares etiam istam apud Gallos *ανθρωποθυσιαν*, et  
dirae immanitatis religionem, abolere instituerunt, ut Suetonius  
in Claudio habet. At quo alieniores Romani esse uoluerunt  
ab ista humanorum sacrificiorum crudelitate, hoc maiori laude  
nihilo secius feruntur, quicumque illorum se, suamque uitam,  
desperatis patriae rebus, ultro obtulerunt, et morte sua iratos  
deos placare sustinuerunt. Deuotionem dicunt istam in morte  
subeunda obstinationem, eamque, pro singulorum salute princi-  
pum, a Germanis, Gallis, et Hispanis, aliquando susceptam, et sub  
Augusto Romam quoque translata, sub Caligula uero, Traia-  
no, aliis, seruatam esse, constat. Celebriores tamen sunt deuoti-  
ones, pro uniuerso uel exercitu, uel republica, factae, M. Curtii  
scilicet, et Patrum Conscriptorum. Quorum ille in uastum  
Romani fori specum, pro patria deuotus, se immisit, hi uero  
senio confecti, et magistratibus curulibus functi, cum a Gallis  
Senonibus patriam teneri cernerent, se pro patria, Quiritibusque  
Romanis, deuouerunt. In primis autem decantatae sunt Deci-  
orum pro exercitu deuotiones, patris quidem in bello cum La-  
tinis, filii uero cum Etruscis. Has enim T. Liuius, VIII et X  
Historiae Romanae libris, copiosius atque accuratius consignauit.  
Ex quo cum certa et solennia deuotionum uerba diligenter re-  
censeat Barnabas Briffonius, reliqua autem, ut ab instituto opere  
aliena, omittat, ipsi, quae ad illustrandum hoc argumentum  
pertinere uidentur, adiiciemus. Et initio quidem, hanc destina-  
tam tantorum imperatorum mortem sacrificii loco habitam esse,  
inde apparet, quod non uulgari et quacunquae ratione perierunt,  
sed, religione quadam adducti, mactandos se Telluri, ac diis  
Manibus, dederunt. Id porro, quod in omni sacrificio piaculari  
fit,



fit, hic deprehendimus. Nam, quae caeditur uictima, non sua uel culpa, uel causa, cadit, sed in offerentis subditur locum, et quod hic male agendo meruerat, aut ex Numinis uoluntate ferre debebat, illa subire, et sanguine suo luere, cogitur. Itaque et Decii *pro republ. exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani* *Quiritium* se deuouent, ut fatum, patriae imminens, deuolutum in se, suo luerent capite. Patri enim, ante praelium cum Latinis, eiusque collegae, T. Manlio, eadem uiri maioris augustiorisque, quam pro humano habitu, species in quiete dicere est uisa, *ex una acie imperatorem, ex altera exercitum diis Manibus matrique Terrae deberi. Vtrius exercitus imperator legiones hostium, superque eas se deuouisset, eius populi partisue uictoriam fore.* Inde cum aequae atque ex immolatione, ante instructam aciem facta, intelligeret, aut se, aut exercitum populi Romani, hostiam diis deberi, pro suo in patriam et exercitum amore, uicariam subire mortem nullus dubitauit. Idem postea filius in bello Etrusco fecit, et in familiaris gloriae parte rerulit, *datum hoc esse generi suo, ut, luendis periculis publicis, piacula sint.* Huius generis piacula Graecis *καταπραυα* uocantur, ob expurgationem, et sunt homines siue scelerati, siue in sceleratorum locum suffecti, quorum capite omnia ciuitatis, aut gentis alicuius scelera luebantur, quique ad auertendam deorum iram mactabantur. Latini uero piacula eius modi, deuotosque execratione homines, sacros dixere. Festus enim, sacrum esse, scribit, quicquid alicui deorum, quocunque modo, addictum et deuotum est. Iam homines publice noxii et detestabiles alicui deorum ad poenam deuouebantur, recte igitur, subiungit, ex eo quemuis hominem, malum atque improbum, sacrum appellari

Sed ad ipsum deuouendi ritum redeamus. Sacrificia piacularia non a quouis, sed a sacris ministris, siue sacerdotibus, fieri poterant. Idem in deuotione Deciorum factum esse, diserte dicitur a Liuiio, Decius pater in trepidatione exercitus



fui, magna uoce M. Valerium, Pontificem, inelamat, deorum-  
que ope opus esse, testatur. A filio M. Liuius, Pontifex, quem  
descendens in aciem digredi a se noluerat, praecire iubetur de-  
uotionis uerba. In deuouendis Senatoribus, tempore, quo a  
Gallis capta urbs esset, M. Fabius, Pontifex maximus, carmen  
praefatus est. Abydeni etiam a Philippo Macedone obsessi, sa-  
cerdotum arbitrato et ritu ad mortem se suosque deuouerunt.  
Quinam uero illi Pontificum ritus sint, ex Decii exemplo cogno-  
scitur. Togam ille praetextam sumere iubetur. Hic uidelicet  
habitus erat sacerdotum et magistratum, sacrificare uolentium.  
Pura alias uestis dicitur, id est, impolluta, qua festis diebus uti con-  
sueuerant, sacra celebraturi. Liuius nostro etiam cinctus Gabi-  
nus dicitur, quo cinctus Decius se in medios hostes immisit.  
Cinctus autem Gabinus, ex Seruii interpretatione, est toga, sic  
in tergum reiecta, ut una eius lacinia, a tergo reuocata, homi-  
nem cingat. Tum caput Decii, se deuouentis, uelatum fuit. Fa-  
miliare et hoc erat, ut salutantibus deos et adorantibus, ita et  
sacrificantibus, eo quidem consilio, ne quid, inter religionem, in  
faustum oculis se offerret. Ita enim, quod Virgilius Aeneidos II.  
docet, Helenus Aeneae et posteris, ut facerent, praeceperat. Ut  
autem nihil sacri ritus omitteretur, manum etiam subter togam  
ad mentum exerere iubetur Decius. Dextram enim, quod fidei  
erat sacra, in adorando ad osculum referre soliti sunt ueteres, id-  
que Graeci osculari dextram dixere, ut ex Luciano probat Brisso-  
nius, sigillatimque ex uerbis, *ημεις την χειρα κυσσαντες ηρουμεθα εν-  
πιλη ημων εινα την ευχην.* Itaque Decius, ex fide se deuouens,  
dextram ori admouet, et denique super telum, pedibus sub-  
iectum, stat. Quod telum cuius modi fuerit, ex auctore libri  
de Viris Illustribus intelligitur, qui, *Decius filius*, ait, *exemplum  
patris imitatus, hastae insistens, et solennia uerba respondens, se  
et hostes diis Manibus deuouit.* Hic habitus deuouentium fu-  
it. Verba solennia prius quam afferamus, id unum commo-  
nifaciendum, Pontificem uerba certa praecisse, deuouentes eadem

re.



respondisse. Ea enim in sacrificiis precantium siue sollicitudo, siue superstitio erat, ut, ne precatio erraret, quod dirum erat, Pontificem, de scripto uerba praeuntem, sequerentur. Quin alium etiam custodem datum esse, qui et legentem, et respondentem, obseruaret, Plinius tradit Historia Naturali. Hac cautione et Decius, ut rite omnia fierent, usus, haec Pontificis praefantis refert uerba, quae quoniam certa et solemnia sunt, ex Liuiio repetemus. *Iane, Iupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, diui Nouensiles, dii Indigetes, diui, quorum est potestas nostrorum hostiumque, diique Manes, uos precor, ueneror, ueniam peto, feroque, uti populo Romano Quiritium uim uictori imque prosperetis, hostesque populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut uerbis nuncupauit, ita pro republ. Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones axiliaque hostium mecum diis Manibus, Tellurique deuoueo*

Habes execrabile deuotionis carmen, cuius iam omnes exsequi partes, nec uacat, nec necesse est. Illud modo intelligatur, altera huius deuotionis parte Decium suis uictoriam precari, altera se hostesque deuouere. Prioris causa Deos superos appellat et obtestatur, Ianum, Iouem, Martem, ceteros. At posteriori deuotione deos tantum inferos, Tellurem et deos Manes, nominat. Clarius id apparet, ex deuotionis formula, qua apud Macrobius, in Saturnalibus, urbes deuouentur. Hisce enim, qui deuouet, incipit uerbis. *Dis pater, Veiuus, Manes, siue uos, quo alio nomine fas est nominare.* His etiam diis inferis urbem hostium, agros, capita, aetates, deuouet et consecrat. Denique ex solennibus Decii uerbis etiam uis deuotionis cognoscitur. Eo enim spectabat, ut tum ipse deuouens, tum hostium omnis exercitus, diis Manibus consecrati, terreerentur et interficerentur, saluis et incolumibus deuoti imperatoris ciuibus. Eam ob rem Decius filius, defunctus execrationis paternae formula, secundum solennes preces adiicit, *prae se agere sese formidinem ac fugam, caedemque ac cruorem, caelestium infer-*



*uorumque iras, contacturum funebribus diris signa, tela, arma hosti-  
um, locumque eundem suae pestis et Gallorum ac Samnitium fore.*  
Factum, quod uouerant Decii, et uicti una hostes deuoti, sed  
ita uicti, ut prudentia ducum, et fortitudo militum, magnam  
sibi uictoriae partem uindicarent. *Euentus enim imperatoris,  
fato defuncti, ingens hortamen, ad omnia pro republ. audenda,  
militibus fuit.* Tandem uero religio est commemoranda, quae  
deuotum obstrinxit. Ea huius modi fuit, ut ipsi, mortem op-  
petere, hostiumque telis se obiicere, necesse esset. Igitur Deci-  
us pater, solennia uerba precatus, statim in equum armatus infi-  
luit, ac se in medios hostes immisit. Filius, qua confertissimam  
cernebat Gallorum aciem, concitat equum, inferensque se ipse  
infestis telis interfectus est. Sed quid, si interfici deuotum ab ho-  
stibus non obrigisset. Religio deuotionis nihilo minus exol-  
uenda fuit, sic tamen, ut simulate potius, quam uere, id fieret,  
signo quodam in deuoti locum substituto. Lilius enim, ut tra-  
ditum a priscis erat, refert, *ni moritur homo, ab imperatore deuotus,  
nam et alium ex legione suo loco deuouere licebat consuli,  
tum signum, septem pedes altum, aut maius, in terram defodi et pi-  
aculum hostia caedi. Vbi illud signum defossum erit, eo magistratum  
Romanum descendere, fas non esse.* Ridiculum istum, signa et  
imagines pro deuoto homine substituendi, morem, deastrorum  
simulacris non indignum, non Macrobius solum refert et exagi-  
tat, auctor Christianus, sed ipsi pagani quoque, in sacris signa rei  
pro re ipsa haberi, tradunt. Seruius secundo Aeneidos ad uerba,  
*uirgine caesa,* monet, Iphigeniam uirginem non uere caesam esse,  
sed ut uidebatur. Addit etiam, inde esse, ut, quum de animalibus  
est sacrificandum, quae difficile inueniuntur, de pane, uel de cera  
fiant, et pro ueris accipiantur. Festus autem, uoce Pila, auctor est,  
ipsis compitalibus, tot pilas, quot capita seruorum, tot effigies,  
quot essent liberi, Laribus positas esse, ut uiuis parcerent, et essent  
iis pilis et simulacris contenti. Itaque superstitio in deuotione ae-  
que iocularis fuit, cum deos suos, loco deuotorum, simulacris  
il-



illis contentos esse, sibi post pericula persuaderent. Et haec quidem sunt, quae pro deuoto, ni moriatur, fiunt. Quid uero cum ipso fiet deuoto. Si sese deuouere ipse uoluerit impetator, neque mori contigerit, ei nihilo secius, ut diis consecrato, aliis interesse negotiis, aliumque in usum arma conferre, fas non est. Id enim testantur solennia apud Liuium uerba. *Ni moritur, neque suum, neque publicum diuinum pure faciet, qui se deuouerit. Vulcano arma, sine cui alii diuouere uolet, sine hostia, sine quo alio uolet, ius esto. Telo, super quod stans consul precatu est, hostem potiri fas non est, si potiatu, Marti suo uet aurilibus piaculum fieri.* Sed satis de illa summorum uirorum deuotione, cui nihil commercii est cum superstitiosa deuotione, et carminibus ueneficarum excantantibus. Nostra enim, quam exposuimus, deuotio est solennis illa fortium uirorum declaratio, qua se ipsi in magnis patriae periculis, certis uerbis et caerimoniis, morti addicunt et consecrant, ut iram deorum, a patria in se conuersam, interitu suo luant. Magnis ea laudibus a plerisque effertur. Multa etiam habet non reprehendenda, quaedam et magni facienda. Praesentia enim animi in periculis patriae, et ciuium adiuuandorum studium, posthabita sua ipsius salute, tum ipse mortis contemptus admirabilis, et animus religioni obnoxius, non possunt non probari. At cum inanis fuerit omnis paganorum religio, deuotio ipsa pessimacacodaemonis aemulatio, et Seruatoris diuini, pro genere humano mortem oppetentis, obtrectatio, facile homines Christiani praestigias, uanamque paganorum superstitionem deprehendent, uictoriam autem de hostibus, una deuotis, partam, terrori hostium, uirtuti militum, persuasione religionis confirmatorum, et consilio imperatorum tribuent, ut uel ex ipsa Liuiana horum praeliorum narratione patebit

Saniora sacrificiorum praecepta, et exempla, ex sacris Christianorum literis repetuntur. Ideoque et quidam bonae expectationis ciues, et alumni, illud sibi argumentum, quo pietatis

et



QK Tc 1468

VD18  
X 3456058


et studiorum suorum specimina quaedam edant, sumserunt.  
Festo enim ritu iam nobis natalis Gymnasii nostri celebrandus est, in eoque

- IO. GEORGIUS HENCKELIVS, VVeberstadenſis, Prologi personam ſuſcipiens, ex primo Moſis Commentario hiftoriam eluuiſionis fatalis recitabit
  - IO. CHRISTOPHORVS LAVPRECHT, memoriam conditi Gymnasii carmine Germanico canet. Poſt ea
  - GODOFREDVS BERNHARDVS SCHROETERVS, *de natura Sacrificiorum*
  - IO. ANDREAS SCHMIDIUS, Palaeo - Gotteranus, *de ſacrificio Noachi*
  - IO. GEORGIUS SCHOTTIVS, *de ſacrificio Romanenſium Euchariftico*
  - HENRICVS CHRISTIANVS MVLLERVS, Mehlerenſis, *de Feſto die Corporis Chriſti, publico ſacrificii Euchariftici cultu*
  - GOTLIBIVS GVILIELMVS FLEISCHHAVERVS, Balhuſanus, *de initiis huius caerimoniae*
  - PAVLLVS ADOLPHVS STARCKIVS, *de eo, quod probari non poteſt in ſolemnitate Corporis Chriſti, breuiter dicent.* Tandem
  - GODOFREDVS ADOLPHVS HABERSTOLZIVS, nota patriae et Gymnasii ſalute ſuſcipiet carmine elegiaco
  - IO. CHRISTOPH. BERNIGAV, collaudato auditorii ſtudio, omnem concionem oratiuncula Germanica dimittet
- Quare, ut Patres patriae Magnifici atque Ampliſſimi, Ephori ſumme Venerandi et Grauiſſimi, ſacerdotes maxime Reuerendi, Collegae clariffimi, omniumque ordinum literati reliqui, cras, procuratis ſacris matutinis, hora VII. in auditorio Claffis I. frequentes, ſi commodum eſt, conueniant, dicturiſque animum beneuolentia ſua addant, obſeruantiffime ac ſtudioſiſſime rogamus. P. P. III. Non. Quinſtil. ſiue, ut in faſtis Chriſtiano- rum eſt, Dom. VI. Sacrae Triados, A. R. G. ∞ 13 CC XXXIX

MVLHVSÆ FORMIS TOBIAE DAVIDIS BRVCKNERI







B.I.G.

Farbkarte #13

Π c  
1468

*De ritu fe. seroerendi apud  
Roman.*

AVSPICIS  
SVMMI NVMINIS  
AVCTORITATE  
MAGNIFICI ATQVE AMPLISSIMI  
VS INTERIORIS ET ECCLESIASTICI  
LIBERAE IMPERII CIVITATIS  
MYLHVSAE  
GYMNASHII PATRII NATALEM  
D. NON. QVINCTIL. A. R. S. ∞ lcc XXXIX  
FESTO RITV. CELEBRANDAM  
INDICIT  
GODOFREDVS BOETGERVS  
GYMNASHII RECTOR

